


1878





412 (61) 1928 K 944 18,5

D. SALOMO CONSTANTINVS
TITIVS

ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD.

H. T.

ORDINIS MEDICORVM

EX-DECANVS

ET

ACADEMIAE RECTOR

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

D. 23. OCTOBR. 1797.

PVBLICE HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA

PROLVSIONIS MEDICO - POLITICAE

de clysterum tabacinarum in asphycticis vsu,

PARTE PRIORE.

D. SALOMO CONSTANTINVS

TITIVS

ORDINIS SACRI THEOLOGICAE FACULTATIS

DECANVS

ACADEMIAE MEDICAE

RECTOR

ACADEMIAE MEDICAE

RECTOR

ACADEMIAE MEDICAE

RECTOR

ACADEMIAE MEDICAE

RECTOR

ACADEMIAE MEDICAE

Fuerunt inter recentiores medicinae publicae scriptores, qui vsum
clysmatum tabacinarum in asphycticis reicerent, iisdem noxias
magis, quam salutare vires tribuentes. Neque tamen omnes iisdem
ianisi sunt argumentis. Alii enim nimia canalis intestinalis expansio-
ne, diaphragma versus superiora magis tendi, premique, pulmones
in angustius spatium cœceri, horumque actionem nisi plane impediri,
difficilem saltem dubiamque reddi, perhibuerunt, quò præcipue POR-
TALIVS in tractatione de actione halituum mephticorum (*Histoire
et Memoir. de l'Acad. des Scienc. an. 1775.*) referendus est. Non ne-
gandum quidem aërem, vi per intestinum rectum intrusum, omnem
intestinelorum crassorum, ad valvulam coli vsque tractum, explicare,
per fortiorem impletionem, omnia illa incommoda, quae in flatu-
lencia, vt in meteorismo, euenire solent, parare, atque propter coli
transuersi tractum, ipsum diaphragma comprimere. Sed haec suc-
cessiva, irritabilium fibrarum expansio, salutaris omnino habenda est,
quippe qua, tanquam irritamento, fibrarum reactio excitatur, mini-
me vero atonia inducitur. In extensione vero intestinelorum per spas-
mos, longe alius euentus est, malum morbosa irritabilitate augetur.
Vrgente ergo vi irritabili, canalis intestinelorum, per eiusmodi expan-
sionem magis ad reactionem, et contractionem sollicitatur, et ipsum
diaphragma immediate in consensum trahitur. Hunc stimulum cum
solum aër atmosphaericus, nullo alio principio stimulante impraegna-
tus, afferat; longe certior eiusdem effectus erit in aëre, per tabaci
fumum longe acriore. Ex alio capite I. HUNTERVS haec enemata taba-
cina in asphycticorum resuscitatione damnat, quod alui scilicet euacua-
tionem excitent, interdum frequentiore alui fluxum producant, quò
vitae

vitae vires restituendae et augendae, debilitantur et consumuntur. Magis vero hanc obiectionem ingenii ostentandi causa, quam re vera, prolatam fuisse, patet. Namque alui depositionem, praecipue frequentiore, sine intestinorum actione, euenire non posse, eandemque diaphragmatis actione egere, omnibus notum est. Quodsi ergo in asphycticis alui depositio semel fuerit effecta, bene omnino de eorundem in vitam reditu sperare possumus, et licet postea frequentiores erumpant deiectiones aluinae, his alia ratione occurrere possumus.

Longe vero grauiori ad clysmata tabacina vituperanda, quidam scriptores argumento, a viribus herbae nicotianae narcoticis repetito, vsi sunt. Atunt enim in omnibus asphyxiae speciebus, vim vitae oppressam imminutamque esse, quam narcotica magis obtundant, quam excitent. Theoria vero, non experientia, hanc obiectionem niti, mox liquet. Rem ergo alicuius momenti esse duco, methodum hanc, a pluribus inde annis in scriptis, quae de resuscitandis suffocatis atque apparenter mortuis agunt, laudatam, diligentius diiudicare. Ante paucos enim annos prodierunt scriptores, praecipue inter Anglos, qui omnem salutarem huius remedii effectum in dubium vocarent. Et licet I. TESTA, Italus, medicus Ferrariensis, primus forte fuerit, qui publice hanc sententiam proposuerit, (*Della morte apparente degli amegati Flor. 1781.*) haud dubie tamen diutius in Anglia versatus, in hanc ibidem adductus fuit opinionem. In ipsa vero Anglia, haec de certitudine huius remedii controuersia, paullo fortius ab eo inde tempore agitata fuit, quo Societas Londinensis ab egregio quem sibi proposuit, sine hominum vitae succurrendi, deuominata praemium optimo tractatui de resuscitandis apparenter mortuis, promiserat. Cum enim hoc consilio, de medicamentis huius generis firmum ferendum esset iudicium, clysmatum quoque tabacinarum mentio facienda fuit. In hanc scriptorum classem duumviri praecipue D. KITE (*über die Wiederherstellung Scheinartodter Menschen etc. deutsch von D. MICHAELIS Leipz. 1790. 8.*) et D. GOODWYN, (*Untersuchung der Wirkungen des Extrinkens etc. nebst wirksamen Mitteln, Scheintode wieder herzustellen, übers. von D. MICHAELIS L. 1790. 8.*) referendi sunt, quo-

quorum vterque praemio ab hac Societate Londinensi ornatus est. Ille quidem plane haec remedia reiicit, hic vero (l. c. pag. 92.) non vberius quidem eadem pertractavit, classi tamen illorum medicamentorum annumerat, quae inscitia subsidiorum efficacissimorum, vim vitae restituendi, adhibita fuerunt. Horum exemplum mox secuti sunt D. COLEMANN (*Abhandl. über das durch Ertrinken etc. gehemmte Athemholen, a. d. Engl. Ipz 1793. p. 162 f.*) et D. A. FOTHERGILL (*neue Unters. über die Hemmung der Lebenskraft beym Ertrinken, Ersticken etc. übs. von D. MICHAELIS, Leipz. 1796. 8. p. 140*) qui vno ore, haec subsidia vitam reuocandi spreuerunt. Neque tamen defuerunt alii, qui auctoritate Societatis Londinensis modo commemoratae, innixi, rem clysmatum nostrorum, argumentis praecipue ab experientia deductis, defenderent. Inter hos praecipue laudandus D. HAWES in scriptis Eiusdem Societatis (*Transactions of the royal humane Society Vol. I.*) Cum vero medicinae publicae praecepta clara, nullique ambiguitati subiecta sint, necesse est, paucis hac occasione examen de clysmatibus tabacinis in asphyxia admittendis, instituere placuit. In hac enim medicinae parte, quae de impediendis magis, quam de curandis morbis agit, colenda semper delectatus sum. In argumentis vero tum ex theoria, tum experientia repetitis, hic erit versandum. Ne vero sermonem continuum atque momentorum enarrationem temere separemus, omnis pertractatio ad occasionem similem, paucis diebus instantem, differenda est. Iam enim nobis ad eum, quem hac prolusione nobis propositum habuimus, finem, properandum est, ad commendationem

CANDIDATI DIGNISSIMI,

IOANNIS HENRICI LVDOVICI
HELBIG,

GADEBVSCHIO - MEGALOPOLITANI,

qui in eo est, vt Doctoris Lauream auctoritate Ordinis Nostri capiat,
cui sequentem vitae suae historiam tradidit:


Gade-



Gadebuschii, quod est oppidum Megalopolis Suerinensis, anno 1769.
 die 10. Ianuarii, natus sum, Patre LUDOVICO ANDREA HELBING,
 qui nunc rei oeconomicae operam dat; et Matre SOPHIA ELISABETH, e
 gente KARRIGIA. Quibus optinis parentibus ad hunc usque diem, quod
 vehementer laetor! adhuc viventibus, pro omni amore, et cura in me edu-
 cando adhibita, maximas ago gratias, quippe qui me tenera statim aetate
 primum WIESNERO, tradiderunt, qui literarum et religionis elementa me
 fidiissime docuit. Deinde HAHNII et BINGII, virorum, de me quam maxime
 meritorum, institutione, tam in linguis, quam in aliis disciplinis usus sum,
 et exinde non parum utilitatis percepi. Ad altiora vero ut progredi pos-
 sum, et cum pater vellet, ut studio theologico in posterum me dicerem,
 Hamburgum petii, ibique BENTINI, THIESSII, nunc Professoris Theolo-
 giae in Universitate literaria, quae Kiloni floret, domesticae institutioni,
 non sine insigni utilitate, traditus sum. Cum vero magno, tam naturae,
 quam artis medicae amore, flagrarem, imprimis ibidem consuetudine Amicissi.
 THOREY, qui officinam pharmaceuticam ibidem possidet, ex Patris venerandi
 consilio, studium theologicum reliqui, et priusquam ex medicinae fontibus
 haurirem, artem pharmaceuticam didici. Anno 1790. Berolinum profectus
 sum, ibi partim collegia, quae ad maiorem in hac scientia perfectionem
 necessaria sunt, audivi; partim a Viro Cel. NAGEL, amico meo aestima-
 tissimo, non parum utilitatis in arte pharmaceutica ipsa percepi. Exinde
 ao. 1793. Dresdam veni, ubi in egregia, ut cuique cognitum est, officina
 pharmaceutica electorali aulica, per aliquot annos, commoratus sum. Anno
 deinde 1795. relicta hac officina pharmaceutica Londinum iter facere consti-
 tueram, sed propter belli turbas continuas consilium mutavi, Berolinum redii,
 ibique

ibique praelectionibus in Collegio medico-chirurgico, antea, hunc in finem ab Exp. ZENKERO in numerum discipulorum, rite receptus, interfui, et quidem Exp. KNAPIVM, Osteologiam et Splanchnologiam; Exp. WALTERVM jun. Angiologiam; Exp. GÖNNER Physiologiam et Pathologiam docentes audiui, simulque sub auspiciis Exp. WALTERI sen. et Exp. KNAPII in dissecandis cadaueribus me exercendi occasionem nactus sum exoptatissimum; nec non in Nosocomio, Charité vulgo dicto, partim internorum morborum curationes, sub Cel. et Exp. SELLII auspiciis obseruaui; partim operationibus chirurgicis a Viro Cel. MYRSINNA, Prof. Chirurg. institutis, interfui. Logices autem praecepta a KIESEWETTERO percepi. Cum vero nunc, variis scientiae medicae disciplinis imbutus, maiores facerem profectus, Wittebergam me contuli, ubi ab Exp. BOEHMERO, sene admodum venerabili, tunc temporis Academiae Rectore Magn. in numerum ciuium academicorum relatus sum, quem in tradenda Therapia generali et speciali, nec non Materia medica, audiui; deinde Exp. TITIVS, nunc Rector Academiae, Physiologiam, Botanicam, Medicinam forensensem et Politiam Medicam me docuit, simulque Eius demonstrationibus anatomicis interfui. Exp. KREYSIG, p. z. Medicorum Ordinis Decanus, Physiologiam, Pathologiam, Materiam medicam et Chirurgiam mihi tradidit, Idem etiam aegrotos videndi, et sub Ipsius auspiciis curandi, copiam mihi fecit. Exp. LANGGVTHII autem chirurgicas scholas frequentavi. Denique Praecell. RVDOLPHI et amicitia Eiusque, quantum mihi licuit, consuetudo, silentio non est praetereunda, Eius institutionibus in addiscendis linguis, et in logicis usus sum, vnde non parum percepi utilitatis. Quibus quidem Viris ac Praeceptoribus mihi semper venerandis, pro insigni in me collocata benignitate, gratias ago et habeo, quas possum maximas.

Exa-



Examen vero ante semestre spatium non sine laude cum sustinisset, iam Lectoribus suae doctrinae specimen exhibuit dissertatione: *De detractone sanguinis in morbis apoplecticis*, quam Ipse confecit, exhibebit Auditoribus crastino d. 23. Octobr. 1797. quo illum ipsum libellum academicum, in certamine erudito cum Dissidentibus, publice, sub Praesidio Viri Exper. Collegae coniunctissimi, D. FRIDERICI LYDOVICI KREYSIGII, Pathol. et Chirurg. Prof. Publ. Ord. Vicar. defendet. Cui actui solenni vt EX-RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE, COMMITTONES GENEROSISSIMI, PRAENOBILISSIMI, OMNESQUE STUDIO-RVM NOSTRORVM FAVTORES, frequenter et beneuole adesse velint, perofficiose rogamus. P. P. Vitebergae, Dom. XIX. p. Fest. Trinit. 1797.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 8, 1797-1801



vd18







412
(K61)

1928 K 944

1815

D. SALOMO CONSTANTINVS
TITIVS

ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD.

H. T.

ORDINIS MEDICORVM

EX-DECANVS

ET

ACADEMIAE RECTOR

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

D. 23. OCTOBR. 1797.

PVBLICE HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA

PROLVSIONIS MEDICO - POLITICAE

de clysterum tabacinatorum in asphycticis vsu,

PARTE PRIORE.

